UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Vita Et Doctrina Jesu Christi

**Avancini, Niccolò**

**Coloniae Agrippinae, 1689**

Hebdomada XV. Post Pentec.

urn:nbn:de:hbz:466:1-59970

Visual Library

# DOMIN. XV. POST PENTEC.

## Mittuntur, & inſtruuntur Apoſtoli ad prædicandum.

1. *EUntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnũ cœlorum.* Mat. 10. Hæc eſt materia, de qua cum proximo eſt agendum. Ubique regnum Dei, & media, quæ ad aliud conducunt, inſpira. Recide alias inutiles converſationes, quæ ſpiritum diſſipant, quibus conſcientiam tuam gravas, tempus inutiliter abſumis, proximum non ædificas. Ut verò hæc cum proximo agas, aſſueſce eadem tecum agere, tibi ipſi regnum Dei, & media inculca, in meditationibus, in domeſtica converſatione.

2 *Infirmos curate.* Ibid. ſolatio ſpirituali: *mortuos* Deo per peccatum *ſuſcitate* vel adhortatione vel abſolutione: Leproſos qui alios ſeu doctrina, ſeu exemplo inficiunt, *mundate*, inducendo ad pœnitentiam: Dæmones, pravas conſuetudines, publica vitia, *ejicite*, & curate, ut nemo impunè peccet. *Gratis accepiſtis, gratis date*, non quærendo veſtra commoda. Expende an ita cum proximo egeris? an non hoc vocatio tua Apoſtolica à te exigat?

3. *Nihil tuleritis in via, neque virgam*, Luc. 12. quæ ſerviat ad vos, contra violentiam,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiam, defendendos: *Neq; peram,* qua cibaria deferatis: *neq; panem*, etiam ad neceſſitatem: *neq; pecuniam*, *neq; duas tunicas* ad ſplendorem, & pompam. Ita ſuos amiciſſimos Deus tractat, quos vult ſibi intimè conjunctos; ideò omninò à cura, & affectu terrenorum divulſos. Non eris ergò conjunctus Deo, niſi ſis abjunctus à creaturis. O miſer! quid iis adhæres, quæ te dilaniant?

## FERIA II.

### Prædicit Apoſtolis perſecutiones, quas paſſuri ſunt.

1. *Ecce ego mitto vos ſicut oves, in medio luporum* Matth. 10. Quod ovi inter lupos, hoc vobis eveniet. Magno & intrepido animo ad prædicandum Evangelium eſt opus. *Tradent enim vos in concilus, & ſynagogis ſuis flagellabunt vos. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Qui tibi eſt animus ad iſta? times? erige animum: cogita illud; *Ego mitto vos, Ego* qui te victorem coronabo, &c.

2. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum.* Ibid. Quod te in omni perſecutione animare poteſt, eſt exemplum Magiſtri, & Domini tui Jeſu. Quas non ille innocentiſſimus paſſus eſt perſe-

perſecutiones? Tune melior eris cogita hoc identidem, ubi quid tolerandum occurrit: Dominus meus eſt Jeſus, ego ſervus. Quæ gloria mihi, ſi ſors mea ſit eadem.

3 *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ibid. Concludit, pro gloria Dei, neque mortem timendam: hæc enim animę nocere non poteſt. Eſne tam generoſo animo? O quàm felix, ſi vitam in miniſterio gloriæ Dei ponas! Lauda alios, quibus hoc obtigit: cur ipſe non deſideras? At non adeſt Tyrannus. Sis ipſe interim tuus, & occide in te, quod perniciosè vivit, nempè concupiſcentias tuas.

## FERIA III.

### Monet Apoſtolos, ut affectu cognationis non impediantur.

1 *NOlite arbitrari, quia veni pacē mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium* Matth. 10. Pax quędam bona eſt, quam aſcenſurus in cœlum, reliquit Apoſtolis, quædam mala eſt, maximè Apoſtolicis viris, quæ innititur affectui cognationis. Hanc qui vult eam ruptam. Cogita, quantum impediat hic affectus functiones Apoſtolicas. Quàm ægrè diſcedis à tuis, quàm ad eos abſens anhelas? quàm facilè eorum

gra-

gratia tranſgrederis regulas? quàm affligeris eorum afflictone? quàm leviter exultas eorum proſperitate? &c.

2. *Veni enim ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum.* Matth. o Gladius, qui ſeparat hominem à Patre, eſt lux amandi Deum ſuper omnia. Hanc ſi obſervas, jam aliud nihil eſt, cui affectu adhæreas, quia totus amor huic impenditur. Nondum vidêris admoviſſe gladium paſſioni. Caro & ſanguis tibi multum perſuadent Hoc primum præſtandum erat, cùm religionem ſuſcepiſti, & necdum id agis. Ergò ad principia revolveris. Saltem jam ſic incipe.

3. *Inimici hominis domeſtici ejus.* Ibid. O quàm id verum eſt! quid tibi magis domeſticum, quàm ſanguine juncti? ſed nõne hoſtes tui, qui inducunt, ut affectum, quem Deo debes, aut ipſis impendas, aut cum ipſis patiaris? ſed quo jure eum Deo ſubripis? ſed quis tibi major hoſtis? Expende, quãta à teipſo vulnera acceperis, quàm palmaria.

Quod faceres cum hoſte, quem ſemel in tuam poteſtatem redigeres, hoc tecum age.

FE-

# FERIA IV.

## De iis, quos Chriſtus pronunciat non eſſe dignos ſe.

1. *QVi amat Patrem, aut Matrem plus, quàm me, non eſt me dignus* Matt. 10. Quòd talis ſis, non fateberis. Faciam, ut deprehendas. Dic, amas Deum? amo inquis. Servias per omnia? affirmas. Debes ergò, ut ſervias Deo, Patrem aut amicum deſerere; debes frequentibus eorum viſitationibus abſtinere, quæ ſpiritum diſſipant. Non poſſum, inquis, tam inurbanus eſſe. Vides, quid magis ames? Et non times horrendum illud fulmen: Non es dignus Deo.

2. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Ibid. Similitudo morum, conciliatrix eſt amorum. Sequatur ergò Chriſti mores, qui vult dignus eſſe amari. Univerſa Chriſti vita eſt crux perpetua. Niſi crucem tollis, non ſequeris non aſſimilaris, non amaris. Vides ergò crucis & mortificationis, non tantùm utilitatem, ſed abſolutam neceſſitatem? O delicatè! quàm terreris ſola crucis cogitatione! Age nunc, ſi Chriſti eſſe vis, *crucifige carnem tuam cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* Galat. 5.

3 *Qui invenit animam ſuam, perdet illam, & qui pediderit animam ſuam, propter me,* in-

*veniet illam.* Ibid. Unicus ergò animam ſalvandi, ſeu vitam obtinendi modus eſt, vitam perdere propter Deum. Perdis eam, 1. Si ita mortificationem Jeſu in carne tua circũferas, ut vita Jeſu manifeſtetur in te. Durum eſt hoc tibi, ſed neceſſarium 2. Perdis eam, ſi per amorem totus tranſeas in Jeſum: ut dicas: *vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.* Sed ô quàm feliciter eum invenies, quia teipſum invenies in Chriſto!

# FERIA V.

## Jugum Chriſti ſuave ſuſcipiendum.

1. V*Enite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos.* Matth 11. Quàm benignus Deus, qui invitat! quàm bonus, qui nos exonerat pondere peccatorum, quo uſque ad infernum deprimimur! quàm amabilis, qui nos reficit, cùm in via deficimus! Sed quæ tandem eſt refectio? *Tollite jugum meum.* Ergò ita, mi Ieſu, tuos reficis, jugum imponendo? Omninò ita. Quia nullum poteſt eſſe ſolidum, & verum in vita ſolatium, niſi in cruce Ieſu, in qua ſola nos *gloriari oportet.* Vide miſer, quàm erres, qui crucem fugis, & ſolatia aliundè mendicas, ſed inania.

2. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde & invenietis requiem animabus veſtris* Ibid. In Magiſtrum tuum ſe Chriſtus offert, quem meliorem optas? claude mundo Pſeudomagiſtro aures, & Jeſum audi. Docet te invenire requiem animæ laſſatæ in via iniquitatis, per manſuetudinem & humilitatem, quarum iſtâ te Deo, & homini propter Deum perfectè ſubjicis; illâ injurias ultra ſenſum non admittis. Hinc collige cur jugum Chriſti tibi grave ſit, quia illud non portas cum humilitate, & manſuetudine: cur pacem animi aliquando amittas, &c.

3. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* Ibid. Jugum vocat vel legem Evangelicam, vel adverſitates & perſecutiones, vel difficultatem, quæ ſentitur in lucta ſpiritus adverſus carnem. Vocat *ſuum*, quia quantumcunque ſit, illud nobiſcum ſubit, gratia nos ſua adjuvando. *Conjungere ergò Deo & ſuſtine.* Eccl. 2. Nec querere eſſe grave, cujus potiorem partem Deus ipſe ſupportat. Generoſa hîc reſolutione eſt opus.

## FERIA VI.

### Joañes Baptiſta occiditur in carcere.

1. *HErodes natalis ſui cœnam fecit Principibus, &c. Cùmq; introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, &c iuravit illi: Quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium*

*regni*

*regni mei* Marc. 6. Quanti æſtimat levem choream inſanus, pro qua dimidium regni pollicetur. At major eſt inſania, qui pro una voluptatula renũciaſti regno cœlorum, &c.

2. *At illa præmonita à Matre ſua: Da mihi, inquit, hic in diſce caput Ioannis Baptiſtæ* Matth. 14. Conſilium petit ab hoſte Joannis: quid mirum, ſi mors ejus ſuggeratur? Pejus tu agis ſi rerum agendarum conſilium petas à mundo, à carne, à tuis paſſionibus. Quoties tibi ſuggeſſerunt caput, non Joannis, ſed Chriſti? quia quoties peccas, quantum eſt in te, Chriſtum occidis, quia ponis eandem cauſam, ob quam occiſus eſt. Stulte, rationem conſule in rebus agendis, non appetitum.

3. *Et contriſtatus eſt Rex* Marc. 6. Quia Joannem æſtimabat, & ſuam inſaniam advertit. Noli præceps eſſe in decernendo. Age omnia præmeditatò, poſt acta non pœnitebit te. *Propter jusjurandum, & propter diſcumbentes noluit eam contriſtare.* Timet violare temerarium, & ſceleſtum juramentum, non timet innocentis cædem. Non vult meretriculam contriſtare, & non timet Deum offendere. Nonne tu ita agis cum appetitu tuo? *Et decollavit eum* quem ſciebat ſanctum & innocentem. Ad quæ ſcelera deducit vel una infrænis paſſio! Et tot tu habes, quas nondum domas?

# SABBATHO.

## Quinque panibus, & duobus piſciculis, ſatiantur quinque millia hominum.

1. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora jam præteriit; dimitte turbas, ut euntes emant ſibi eſcas.* Matth. 14. Quàm conſtans & fervens turba in audiendo Chriſtum! quàm tu languidus, & incurius ad ejus inſpirationes! Diſcipulorum cura diffidentiam oſtendit. Orant dimitti turbas, ut emant cibaria, ajunt, ducentorum denariorum panes non ſufficere, &c. Tu contrà, omnem tuam fiduciam in Deum conjice, maximè in iis, quibus humanis viribus mederi non potes; & dic toto affectu, *Tibi derelictus eſt pauper* Pſ. 9.

2. *Et cùm juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum*, Ibid. Quos paſcit gratia, vult in humili ſui cognitione quieſcere. *Accepit panes, & diſtribuit diſcumbentibus, quantum volebant.* Joan. 6. In manibus Chriſti multiplicantur panes. Utcunque parum ei dederis ſincero animo, cum fœnore recipies. Si nihil accipis, non eſt illiberalitas Domini, ſed tua, nihil ei in manus conſignas. Private amore illius minimâ voluptate, ille animo tuo incomparabile reddet.

3. Jeſus *ergò cùm cognoviſſet, quia ventu-rieſſent, ut raperent eum. & facerent eum Regem, fugit in montem*. Jo. 6. Habes in illa turba gratum animum, quæ per miraculum accepto beneficio, & *magnum Prophetam* proclamavit, & regem creare voluit. Quàm ingratus tu es, qui ipſis Dei gratiis ad ejus offenſam abuteris! Habes in Chriſto honoris fugam. Ad crucem currit, quam *deſiderio deſideravit; & immolatus eſt, quia ipſe voluit:* ab honoribus fugit. At tu contrarium facis: Non te pudet?

## DOMIN. XVI. POST PENTEC.

### Chriſtus ſuper aquas ambulans.

1. N*Avicula in medio mari jactabatur fluctibus, &c. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare.* Matt 14. Tota nocte luctati ſunt: *Erat enim ventus contrarius*. Vidit Dominus ex monte, & ſubvenire diſtulit: *Erudiens nos*, ait Chryſ. hom. 51. in Matt. non citò ſolutionem quærere advenientium laborum, ad quos eos diſponebat, ſed expectare tempus, quod ipſe diſpoſuit, & interim generosè tempeſtati reſiſtere. Idem te in omni tẽpeſtate adverſitatum, & paſſionum tuarum docet Ieſus. Quid agis inter vẽtos ſaluti contrarios? quo-